


Grey Scale #13



DANES-PICTA .COM

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Colour Chart #13

DANES-PICTA .COM



**Dodatki do dzieł Jana Tarnowskiego.**

**A.**

**JOANNIS COMITIS TARNOVII  
DE BELLO**

**CUM JURATISSIMIS CHRISTIANAE  
FIDEI HOSTIBUS TURCIS GERENDO  
DISPUTATIO SAPIENTISSIMA,**

**Cum Praefatione Joannis Strazii**

**AD CAROLUM V. ROM. IMP.**

---

*Rzeszów 1858 Bibl. Golske*

(Extractum ex Nicolai Reusneri selectissimarum orationum de bello  
turcico, volumine IV).

1819/1  
Biblioteka Uniwersytecka

JOHANNES COMPTON PARSONS

8119/1



CUM JOHANNES COMPTON PARSONS

CZCIONKAMI " CZASU "

DISPUTATO SUPER...

Profructibus...

AB CAROLO V. ROMANO

(Museum et Bibliotheca Universitatis...

# JOANNIS COMITIS TARNOVII

## IN POLONIAE REGNO

Strategi Nominatissimi

# DE BELLO

CUM JURATISSIMIS CHRISTIANAE FIDEI HOSTIBUS TURCIS  
GERENDO,

**Disputatio sapientissima.**

Cum Praefatione Joannis Strassii ad Carolum V. Rom. Imp. semper  
Augustum.

Etsi nullum tempus praetermitti, *Carole Imperator*, a tua Majest. certum est, assidue cogitandi de communi christiana reip. salute, atque immanissima barbarie turcica propulsanda: non ob id tamen arbitror ejus officium reprehensum iri, qui tam anxio et perturbato planeque confuso communium temporum statu, humiliter atque fideliter consulere aliquid in medium pia quadam et christiana propensione conetur. Siquidem hujusmodi rerum facies oculis objecta est, ut merito cuivi consulenti pro communi salute, tamquam gregarii militis voci, inclinatis rebus in acie apud imperatorem locus esse debeat. Immo saepe profuisse in publica trepidatione,

infimorum consilia haud obscuris documentis est cognitum. Neque enim, *Imperator invictissime*, hoc quisquam suscipit aut tentat, ut curas aut sollicitudines divini animi tui, orbis terrae procurationem complexas, se acuere, augere, aut limare posse existimet: quod in tanta sapientia tua, ac tanto maximarum rerum usu et summa copia prudentissimorum hominum cogitare, esset extremae dementiae atque intolerabilis arrogantiae. Sed cum ipsum periculum in praesentia vel longissime dissitos attingat, jamque hoc flagrans incendium longe lateque devastationem ac ruinam minetur: aequum est, omnes paratos promptosque ad ejus extinctionem accurrere, ac tuae M. principi et auctori pulcherrimi operis praeferenti signa, officium quisque suum pro virili exhibere. Sic ego, etsi forte sapientiae tuae in tanto imperii fastigio probare meam sedulitatem et conatum minime possum, tamen deferendum putavi, ne in tanta concursatione proferentium undecunque debitum suum officium solus relictus, ignaviae ac socordiae maculam sustineam. Quod interim ita a me exhibetur, ut nihil hic meum est proprium, exque meo penu depromptum. Totum est illius viri, qui propter summam auctoritatem, et incredibilem rerum omnium experientiam, in subselliis omnis prudentiae consultissimorum meritissimo principem locum obtinebit. Non sum nescius, *sapientissime Imperator*, comitem Tarnovium supremum ducem regni Poloniae, majest. tuae notum esse et acceptum, qui propter peritiam rei bellicae et insignes victorias a barbaris hostibus reportatas, toto terrarum orbe illustrium meritorum fama celebratissimum nomen est consecutus. Hic tantus vir, optimus dux et gravissimus senator, non modo sustinet personam hujus consilii, sed ejus indabitus autor est et architectus. Apud quem a castris hungaricis reversus, et austriacam pestilentiam vitans, complures dies commoratus pro veteri mihi constituta cum illo observantia et familiaritate, operam dedi, ut, quae ille pro singulari sua erga remp. christianam pietate, et incredibili erga M. tuam, ejusque fratrem Ferdinandum studio, tam necessario tempore maxime necessaria est locutus, in scripta referrem; quae nunc in coetu palam se adeuntium decumbens ex

dolore pedum dixit, nunc remotis arbitris seorsum mecum tractavi; quae quidem ex illius ore excepta sine ullis orationis cincinnis et calamistris, pure, simpliciterque recensebo. Et quamvis ejus vim et gravitatem in dicendo exprimere non possum, tamen enitar, ut fines et terminos illius sermonis non excedam. Qui sane sermo, quamvis non uno tempore ab eo decursus est continenti oratione, sed interpolatis diebus et succesivis horis habitus, tamen ita dilucide, graviter, articulate de toto negotio latine disseruit, ut facile animadverti poterit, in quot partes sermo ille per eos dies habitus esset divisus. Primum enim ratiocinatus est de concordia christianorum principum. Deinde de officio imperatoris ad tantum bellum, et quibus rebus nobis Turci praestarent. Postremo quibus copiis et viribus, Dei ope, cum hoste barbaro possit configi, ac quibus Christiani illos antecellant. Utinam majestati tuae, *Invictissime Imperator*, conatus hic meus tam gratus existat, atque magna animi alacritate suscipitur: ut si forte vir ille, ex raro hominum genere dux, institutum tuum nullo invento juverit, tamen non inglorium putandum est, principes viros, longissimis locorum spatiis disjunctos, cum majest. tua multo sapientissima, idem sentire. Sed jam ipsum loquentem audimus: quis sit ejus sensus de universa re, exponam. Ipse autem introducit, perpetuo contextu singulas partes tractans, ne molestissimae illae voces (inquam, et inquit) saepius repetantur. De concordia autem sic exorsus:

„Equidem mihi conscius sum in omni rerum usu mediocritatis atque adeo potius tenuitatis meae, tamen cum post hanc funestam cladem, tantam ubique trepidationem, pavorem, ac consternationem secutam audio, ut Christiani fracti ac debilitati barbari hostis adventu animos despondere videantur, putavi me sine scelere et communis religionis offensione praetermittere non posse, quin sensum meum de hoc statu rerum aperirem; et si forte nihil novae medelae praeter caeteros afferrem, bene tamen et recte sentire voluisse cum aliis bonis viris cognoscerer. Sed cum de modo et ratione arcendi hujus hostis cogit, nihil tam adversarium est, nihil tam obstat

spei et fiduciae conficiendi hujus belli, quam dissidium principum christianorum, ac mutuo se delendi, nunc clam, nunc palam, mirifica studia. Quae sane nisi restincta fuerint, remissa aut sedata frustra, recipitur omnis cogitatio de Turco profligando. Quare non possum non aperte et libere, quid de hac parte sentiam, referre, antequam rationem ipsam gerendi belli attingam. Longum esset christianos principes admonere sui officii, cujus rationem referendam esse aliquando summo *Deo*, non possunt ignorare. Taceo illa, quae etiam in privatorum reconciliatione interponuntur. Hoc vel illud resarciendum; si quid delictum sit, compensationem inducendam; atque idgenus passim nota. Hoc autem animadvertant, ultionem ex privato odio, quam arbitrantur in inimicum tendere, omnino in detrimentum ac perniciem totius christianitatis vergere. Deberet profecto maledictio, et dira hominum imprecatio, atque perpetua illa infamia, quae ipsis ob hujusmodi facta inuritur, aliqua ex parte eos movere; deberent reges nominum dignitatem et vim tueri, quam sustinent, nisi se notatos omni macula et turpitudine apud posteritatem velint; deberent in idem incumbere re et facto, qui Evangelium sequi se pure profitentur. Nam vel ipso sole clarius est, religionem nostram, nobis dissidentibus intestinis odiis et bellis, opprimi et extinguere, Mahometi sectam crescere et propagari. Discant christiani principes, exemplo verborum hostis nostri, fidem suam propagare. Is in confoederatione olim cum Joanne rege requisitus, ut aliqua castra restitueret, respondit, id se libenter facturum, nisi obstante templa, mahometicae religioni dicata, quae non licere sibi tradere in manus *Gaurorum* (ita enim Christianos vocant) proferebat. Si commiseratione et pietate non moventur, cogitent commune periculum, et futuram calamitatem aliquando in ipsos redundaturam. Nam constat non defuisse potentes monarchas, florentes magnis opibus, quos publicus christiani nominis hostis, ejusque majores subjugarunt. Decimus jam Turcorum caesar dominatur, qui sane quantum sibi ditionum subjecerit, nemo est qui non videt. Fallitur, qui putat eorum

ambitionem facturam modum grassabitur hoc malum, quosque pervadat eorum dominia, qui nunc sunt non parva, causa hujus dissidii. Nemo arbitretur ab eo occupatam Hungariam, ut conquiescat, ejusque finibus contenta aut expleta sit infinita et insatiabilis barbari cupiditas. Non est existimandum aliter, quam eos multo acrius gloriae et famae stimulis agitari, quam Christianos. Ubicunque trophea fixerunt, ibi non modo finis cupiditati, sed initium aliud ex alio novae cupiditatis novo successori locatur. Certe ob privatas simultates non deberet christiana respub. negligi, cum videamus omnibus saeculis apud ethnicos: privatas offensiones crebro salutis reipub. causa sapienter condonatas. Quarto: aequius est nos facere, quibus ne privatis quidem mutuo inter se flagrare odio, nostra persuasione, concessum est. Turcus non propulsat, sed infert bella christianis: principes autem christiani potius in mutua viscera hastas vibrant, quam in illum hostem capitalissimum eas contorqueant. Cum vero id agunt, ut videantur velle resistere, nunquam talem ordinem et delectum faciunt, ut justis viribus eum propulsare quaeant. Plus hoc modo hostem irritant, quam arceant, aut populos fidemque christianam defendant. Vereor, ne quis me concionatoris munus obire loquatur, si dixerò, principes a *Deo* in terris constitutos, ut justitiam ex aequo administrent omnibus, subditos defendant, fidem propugnent; ad haec infimum quemque de plebe coram *Deo* et hominibus reum agi, si non satisfaciat debito suo officio ac vocationi suae. Quanto magis ipsos principes, quorum fidei et tutelae commissi sunt, id facere par est. Sed haec et id genus complura non dubito ab aliis dicta esse multo disertius. Utinam a principibus in actionem deducantur, quae optima mente, quamvis odiose, a viris bonis proferuntur! Non est ambigendum, si quis producto catalogo bonorum et malorum principum interrogetur: cujus se similem esse optaret, quin respondeat mox, nisi amens sit, se malle potius principis boni nomen et vitam referre, ut pote tyranni quam mali, ut Neronis, famamque sibi peroptare superesse bonam, quam malam. Nihil enim magis tyrannicum, quam negligere suam famam, nec

curare, quid quisque de se existimet. Hanc si viam affectant, ita se gerant in administranda republica, ut laudabilem et sempiternam famam bonis operibus post se relinquunt. Habet caesar, et rex Galliae, caeterique principes christiani, latissimum campum bene merendi de fide nostra, sibique et posteris suis aeternum decus, et nomen immortale comparandi. Summi Pontificis partes viderentur, vel praecipue, post habitis privatis negotiis, imperatorem et regem Galliae ad concordiam reducere: et si non possint firmam stabilire pacem, saltem in aliquod tempus: ut si rex tam sanctum institutum adjuvare nolit, nec tamen impediatur. Eorum enim dissidio Turcus nanciscitur opportunitatem Christianos vexandi, et affligendi bellis. Quod ad imperatorem attinet, non est obscurum, et olim cum magnis sumtibus in exercitus atque apparatus classium factis, multis foederibus initis, dissimulatis et condonatis injuriis, strenuam operam reipub. christianae navasse, (sic Viennae, et in Aphrica, aliisque in locis factum: sed semper, nescio quo fato, impeditum) et nuper Ratisbonae, quantum fieri potuit, principes inter se conciliasse: idque sedulo eum facere, et facturum perpetuo minime dubito. Utinam complures ad hoc sanctum opus sua pietate provocet, incendat, atque inflammet! Utinam tandem eatur obviam hosti, ne ultra grassetur in Christianos, lancetque ac dissipet, et in nihilum redigat ovile *Christi*! Forsan *Deus* servat *Imperatori* hanc laudem, ac omnibus, qui ad tantum, tam pium opus exsequendum, suas vires conferent, nimirum ad propulsandum Turcum a cervicibus Christianorum. Si rex Franciae negat opem, aut ad hanc rem multo sanctissimam perficiendam, subsidium: saltem non sit impedimento, et vel hac modestia proemium a *Deo*, ab hominibus laudem promerebitur. Perspecta est optima voluntas regis *Ferdinandi*, tot jam annos maximos labores, sumtus et pericula pro Reipub. christiana sustentis. Credibile est etiam, domesticas discordias Germaniae non futuras impedimento: si Caesarea Majestas suspensis controversiis ad aliquam legitimam cognitionem, concedat partibus pacem, vel ad tempus aliquod. Nam et proprium periculum quod impendet a Turcis, et alia

multa impedimenta retinent eos, ne moveant ulli intestina bella. Quod si *Imperator* conspirantem bonorum principum voluntatem offendet, et hanc, tum necessariam, tum piam expeditionem parabit, providendum erit, ut id sit certum, ac cum constantia quadam ac fide bona agatur, ne post hac relinquuntur in periculo, qui eos adjuverint, quique viciniore fuerint, ut Venetis contigit bis, nec non Ungariae et Poloniae regi, ad persuasionem Pontificis Eugenii suscipientis bellum. Nunquam patuit Christianis facilior aditus ad eum invadendum, quam hoc tempore, quo penetralia christianarum ditionum est ingressus. Non erit per asperos difficilesque montes quaerendus, non per longe dissita peculosaque maria insecundus: sed jam est in visceribus christianitatis. Nunquam hominum memoria potuit facilius, et cum minore periculo, quam nunc debellari. Quando autem tam sanctum opus, justum, pium, et necessarium est aggrediendum? Neque enim sine extremo malo omitti potest. Est hic hostis invadendus, antequam in Hungaria possessionem corroboret, pedemque figat. Difficile enim posthac eici posset, Hungaria enim est provincia fortissima, validissimis oppidis et arcibus, ac pluribus castris mirabiliter munita. Danubii fluvii infinita commoditate provisa: est profecto Hungaria propugnaculum christiani orbis. Inde nisi in tempore occuratur, hujus barbari hostis furore amissis copiis, reliquae florentissimae nationes longe lateque direptione, incendiis, deformare ac devastari possunt, multo etiam, quam olim ab Attila, crudelius et immanius. Videmus enim et olim romanis imperatoribus maximae curae fuisse Pannonias, tanquam medium locum Europae, et cor imperii. Inde patet aditus in Italiam, Germaniam, Poloniam, et ab altera parte in Illyricum et Turciam, et totum orientem, nec ad Europum occupandam ulla sedes oportunior est. Magnitudo rei quam cautionem et provisionem requirat, ipsa, me tacente, per se loquitur. Si in ista provincia (quod *Deus* prohibeat) dominium suum firmaverit, difficulter extirpabitur. Quod si barbarus ad inducias aliquas se demittet, non est existimandum, eas diuturniores fore: quam quo ad ille voluerit. Nec diutius sane volet, donec in solo Hungariae

firmum pedem fixerit. Nemo debet ambigere, nisi prorsus alienus a christiana fide, quin collocata fiducia in *Deum*, Turcam possimus propulsare, ac etiam delere. *Deus* non solet pro fide sua pugnantem deserere, si id bona fide egerint. Nec timenda est eorum multitudo quae magna ex parte imbellis est et inermis. Qui velint animum ad hoc institutum intendere, possunt animadvertere, non multitudine eos vincere, sed praecipuo adjumento eos uti ad victoriam: dissensione Christianorum. Multa sane exempla adduci possunt, quod Turcus fere nihil obtinuerit, quin semper innixus hac vel illa inter principes christianos discordia, quibus inter se digladiantibus, pro hoc aut illo loco (ut nunc in Hungaria factum est), cum magna praerogativa suae fortunae nos adortus est.“

Haec sunt, quae *Dux Tarnovius*, non minori detrimta, quam eximia prudentia insignis, de principum discordia disseruit: ad quae me aliquid affingere vel adsuere de meo, et ipsius dignitas vetat, et mea me existimatio prohibet, ac ipse pudor non sinit. De his, quibus Turci Christianis superiores sunt, deque officio imperatoris belli provinciam suscepturi, in hunc modum verba fecit:

„Etsi multa sunt, quae advertere animum ducem hujus expeditionis deceat, quorum singula persequi non est necessarium, hoc in postremis ponendum non est, diligenter expendere, quibus Turci Christianis praestent. Videmus autem illos uti imprimis praecipiose equitatu, Christianos peditatu: quod non arbitror magno commodo nobis cedere. Nam certum et exploratum habetur, Turcos a peditibus nostris, qui paucos aut nullos habent equites, detrimento affici non posse. Praeterea hoc incommodi accedit, quod equites nequeant Turcos profligare separatim, istis levioribus praeliis. Ita illis relinquitur facultas, quaqua versus, sine ullo obstaculo libere depopulandi ac devastandi. Deinde multum contra nos facit, quod Turcus habet gentem unius subjectionis atque obedientiae, apud nostros longe diversum. In christiano quippe exercitu diversae militant nationes, diversorum inter se animorum. Una natio aliam odit, ut nonnunquam acciderit, tantam in uno exercitu discordiam, atque dissidium ortum, ut vix (quod valde detestandum est) a mutua caede sibi

temperarint. Quid dicam de ducibus; quam crebrae inter illos, non modo rixae et altercationes, sed noxiæ dissensiones, dum unus alteri non concordat, ac non modo non favet, sed aperte invidet. Hinc efficitur, ut si justus aliquis exercitus cogatur, discordia tamen hujus modi facile dilabatur ac dissipetur. Nunc quanta vis atque facultas Turcorum caesari in thesauro posita est, quem in sua manu ac potestate obtinet, eumque erogat pro arbitrio et necessitate, uti illi melius et consultius videtur. Contra vero habent necesse Christiani, si velint resistere, ex diversis loculis depromere, atque omnino contribuere necesse est, quod ipsum tamen perexiguum est, neque eo numerosus exercitus alii, aut certe diu sustentari potest. Inde insignis ille error sequitur, saepe conduci militem, cum minime res tempusque postulat, maxime autem necessario tempore desiderari. Videmus Turcas in oppugnandis civitatibus et castris abundare numero operariorum ad fossas ducendas, et vineas agendas, aliaque onera subeunda: Christianis vero magna ex parte deesse, aut pauciores omnino esse, quam necessitas deposcat. Illud haud scio, an primas teneat in rebus feliciter gerendis: occulta hostis habet sua consilia; apud Christianos nostra passim vulgari ac dispergi pingendo et scribendo, antequam ad rem veniatur, non levis error est, unde hostis non modo edoceri commode nostra consilia, sed jure sumtibus in exploratores parcere potest. Quanquam interim ille abundat pessimis hominibus, qui se a religione nostra abdicarunt, etiam Judaeis, quorum impigra in nostris rebus speculandis utitur opera, eaque non ignava. Principes vero christiani vix ullam impensam in exploratores faciunt, rem adeo necessariam, ut talium beneficio res maximas perfici posse, nemo paulo peritior neget. In praesenti vero summa commoditas istarum rerum ad manum est: parvo sumtu, tum nullo pene negotio, in vicinis locis, et quasi domi nostrae, ne procul sint, incerta spe reditus, ablegandi. Quid jam de victu Turcorum dicemus? Illi non alio cibo, neque potu utuntur in castris, quam domi, atque eam ob rem non incidunt in aegretudines istas, quibus [Christiani plerumque sunt

obnoxii. In exercitu enim christiano, quamprimum milites aquam continuo potant, pecudum recens excoriatarum carnes adhuc tepidas, aut fructus avidius vorant: quo saepe impellit lautitiarum inopia, mox febribus, dysenteria, atque aliis morbis corripuntur: Turcis vero hic victus familiaris est et quotidianus. Quibus rebus omnibus superius a me commemoratis, ut obviam eatur et prospiciatur, haec quae sequuntur, ab imperatore, aut ejus vicario, vel substituto, aut primario belli duce curari et provideri convenit: Principio ut belli nervus talis congregetur, qui stipendio militibus dando (de quorum numero mox agemus) ad biennium sufficiat, deductis interim singulis annis trimestri stipendio, ut paulo infra ostendemus: ne defectus stipendii, hac ratione parandi nervi posthabita, memorabiles occasiones remoretur, impediatur, aut perimat. Nam cum his rebus in tempore minus prospectum est, emendicanda laboriose venit pecunia, et a multis aegre praestatur, ac vix unquam opportune apportatur. Et hoc pacto exercitus aut serius conflatur, aut citius dimittitur, quam expediat: ac tum opera (quod ajunt) et impensa perdita est: hosti animus crescit. Summopere praestandum est duci belli: ut persuadeat ac annitatur, ut quaecunque in exercitu fuerint nationes, earundem sint voluntatum, et similium studiorum, procul exterminatis odiis, tumultu, factionibus, verissimis pestibus clarissimorum exercituum, atque adeo rerum in omni administratione maximarum. Praeterea cavendum, ne indies in socios praedas atque rapinas exercent, quod pessimo exemplo nonnunquam contigit. Qua insolentia non modo hominum odia in se concitant, sed et *Dei Opt. Max.* majestas gravissime offenditur. Meminisse consentaneum est, eos qui bello interfuturi sunt, se non ad diversa opera, sed omnes in unum maxime, idque maxime pium et christianum convenisse; nimirum: ut sempiternum hostem omnium nationum et christiani maxime nominis propulsent, fidemque sanctam defendant. Ita danda est opera, ne una natio alteri sit infesta atque infensa, et quamdiu stipendia simul faciunt, se mutuo fraterna benevolentia atque amore complectantur, nec aliud quaerant ex hoc, quam gloriam *Dei*, et

honorem, et gloriam, quae ultra et sponte praeclara gesta comitatur. Ducum belli, tribunorum militarium, et centurionum munus est: ne alius in alium hostili aut inimico sit animo. Quod quisque intelligit ac providet, libere in medium proferat, atque consulat, benigne quisque alium audiat, nemo alterius dicta aut facta impediatur, quae ad utilitatem aliquam rei bene gerendae faciunt. Quilibet enim persvasum habeat, ubi res prospere gesta fuerit, omnes participes et socios ex aequo praeclari facti, et partae gloriae futuros. Quod autem a me adducta concordia et consensus animorum, inter tot dispersas nationes, lingua et moribus discrepantes, coeat, necesse est, ut aut *Imperator Carolus*, aut rex aliquis, vel loco sui vicarius, summam belli administret (nec aliter res succedent), quem externae nationes ament, revereantur, observent, atque exactissima obedientia colant. Ipse etiam praestandum curet, severitate disciplinae militaris, et delictorum poenis sine exceptione aut respectu infligendis. Haec una vel adeo sola mihi videtur ratio, tollendi huiusmodi dissensiones, si omnes subsint uni capiti, ac unius imperio obtemperent. Nec par est, ad tantam belli molem gestandam, aliam rationem iniri. Nam si quis inferior conditione homo imperio praeficeretur, non aut rex, aut dux sive princeps fuerit, (cum rarae regum personae sint, et jure omnibus, tanquam numina venerandae) non deessent, qui verecundia impedirentur talibus subesse, aut se submittere, quem, tantum abest ut timerent, aut honorem, aut triumphum illi faverent, ut ne obsecundare quidem illi, aut morem gerere ulla in re vellent. Quo statu rerum nihil perducere ad laudatum exitum potest, nec natio nationi ullo modo studebit, aut ex animo cupiet. Multa mihi dicenda essent de correctione disciplinae militaris: sed quia ea res a multis est animadversa, brevior sum. Hoc quidem inprimis gravi poena sanciri vellem: ne quis sacrosanctum *Dei* nomen flagitiose proscinderet, et praeter incommodum luxum, tantam quoque colluviem scortorum secum pertrahendi, illaudatum morem posthaberent: unde non modo comaeatui pernicies, sed dedecus quoddam, ac infamis dissolutio nascitur. Commoveat eos indignissima vox cu-

jusdam bassae, qui in superioribus praeliis in expugnatis castris Germanorum, intuitus copiam meretricum, dicebat iratus: se adductum, non ad oppugnanda castra militum, sed Luparum. Quisquis itaque regum hoc onus ac provinciam administrandae atque moderandae hujus gubernationis suscipiet, is, cum se mortalem genitum esse sciat, si forte in tam memorabili ac christiana occupatione mortem oppetet: nullum desiderium de se clarius, nullam famam celebriorem, nullam gloriam denique magis perennem relinquere optimo jure potest.“

Haec iisdem fere verbis pertractavit vir peritissimus, gravitate quidem alia, sed mihi inimitabili, nusquam tamen ah ejus sententia discessi. Nullam ego hic laudem eloquentiae, aut gloriolam industriae aucupor: modo candoris mei et fidei ratio Majest. Tuae constare possit. Sed nunc illud ipsum, de numero militum ad hoc bellum necessario, audiamus, et de ratione superandi hostes.

„Reliquum est, ut dicam (est enim hoc summopere necessarium) quanto numero militum animose cum hoste configi, et conseri manus possint. Interim illud observari praecipendum, ut supplementa semper in tempore mittantur. Accidit enim, nunc morbis, nunc parvulis praeliis, saepe etiam fuga, milites absumi, aut desiderari. Exercitus erit, equitum levis armaturae XXXII millium; gravis armaturae VI millium; peditum XXXII millium; fossorum duo millia. Ad haec bombardarum, quanta parari potest copia, de qua re nihil praescribo. Nam duces rei bellicae periti facile judicare possunt, quali apparatu, et quanto numero ad talem exercitum sit opus. Sed cum ad talem exercitum multa impensa sumtuque sit opus (non quod aut fieri, aut perfici nequeat; imo spes certa et fiducia mihi est in *Deo*, his copiis impigre et gnaviter illi resisti posse; ad vires imperatoris et Germaniae accedent Bohemi, Moravi, Slesitae, ac pars Hungariae, quorum adjunctione hunc numerum compleri facile posse existimo), qui cum potestate in expeditione futurus est, si qua fieri poterit, ut stipendium minuatur, curet. Haud aequum est, quemquam terreri multitudine hostium, sed etiam alia consideranda sunt, num hostis in omnibus superior sit? Omnia vero fortunae potestati concedere,

esset non modo male mulctandae stultitiae, sed extremae cujusdam ac exitiosae dementiae. Hoc porro diligenter et accurate considerandum, quo hostis antecellat, quoque rursus nobis sit inferior. Quanquam Turci sint copiis numerosiores, gratia tamen et ope *Dei*, bellicosiores sunt Christiani, et armis melius instructi, et equos habent in congressu robustiores et valentiores, suntque equites omnes hastati: Turci non omnes hastis utuntur, suntque plerique inermes. In Turcorum exercitu multi sunt servi (quos sclavos vulgo vocamus), multi illiberi homines, diversarum nationum, qui in bello non solent esse constantes. Quod autem in hostili exercitu constanter manent, id minime mirandum est ab illis fieri. Vident Christianos negligentem ordine, ac pravo regimine et corrupta disciplina res suas constituere: fortunam Turcarum optatis uti successibus. Non dubium est, si Christianorum fortunam viderent mutari, animum et ipsi mutarent. Quis enim illiber potest constanter in proelio manere, cum peroptaret potius suum dominum extingvi, ut libertatem recuperaret. Ad institutum nostrum non parum facit, quod cum parvus sit exercitus noster, commensus erit facilior procuratio. Ad haec in certam spem venio, Christianos in congressu fortiores fore. Si in angusto loco erit congregandum, adjuvabit loci commoditas: si in plano et spatioso, profuerit majorem in modum, carris in orbem connexis, pro vallo uti illis, quando res postulat, progredi, et castra metari. Postremo hoc nobis non parvos animos addit, fiduciamque confirmat: Turcorum caesarem non posse habere supra sexaginta millia delectae gentis, idque ita esse, experientia sumus edocti. Sed jam praeter ipsas vires et robur, quae res externae sunt, nonne fide in *Deum* nos erigi decet, qui justos et sperantes in se, nunquam non juvare solet? Stat pro nobis *Justitia*. Illi enim inferunt bellum: Christiani propulsant. Si viri sumus, confortatos nos esse decet. Ipsi enim agunt pro dominatu, pro ambitione, pro opinione illa insculpta illorum mentibus, sectam armis propagandam. Nos religiosius multo, pro vera fide, pro ipsa vita et sanguine, pro liberis, uxore, parentibus atque omnibus denique fortunis nostris, ne vel hostili

gladio ut oves sine protectione pereamus, vel in foedam et crudelem servitutem rapiamur. His supra commemoratis, adjungenda et illa ratio est: omnes qui in bello cum imperio aliquo futuri sunt, ipse autem supremus imperator inprimis, genus belli dignoscere debent, ut cum quo hoste pugnandum sit, et quomodo se in conflictu gerant, suos sciant edocere, et quo facto se habere debeant. Turci enim pugnant fugiendo, et quamvis videantur fugere in primo congressu (simulant enim et pulchre mentiuntur fugam), duces deberent cavere, ne temere eos insequantur, sed provide, et cum ordine: ne nostros palantes et dispersos nacti, circumdatos opprimant. In hoc quoque non minimum momenti erit, immutanda esse multa in exercitu Christiano, utpote 'ordinationem et dispositionem acierum. Nam, Christiani non alio ordine incedunt contra Turcum, quam inter se congredi consueverunt. Quare summa cura providendum erit, ut pendatur modus Turcorum in congressu, ad quem, accommodanda erit ratio instruendi Christianorum acies. Quae sane consideratio mihi non videtur in postremis collocanda. Totus autem fortunae eventus pendet ab una victoria. Nam Turcus non externis, sed suis copiis utitur, et quocumque ille proficiscatur, eo robur suum omne educit, quo semel profligato et prostrato, nunquam amplius cervices eriget. Et sane vanus est ille terror, existimare, eum perpetuam habere fortunam, cum homo sit, non *Deus*, poteritque profligari, deleri, vinci, et quidvis aliud. Quod si etiam justa acie profligatus, aut superatus non fuerit, satis tamen victoriae, et non parum gloriae partum erit, si Hungaria ab illius tyrannide vindicata fuerit, et Christianorum virtute compellatur, ad remotiores sedes retrocedere, atque intra sui regni fines se continere. Non est in ejus manu, ut annis continuis bella gerat: necesse est, eum gentibus a se longissime dissitis dare otium, quietem, tempus. Ad hiemem possunt de stipendio majoris exercitus partis deduci tres menses, et servari duntaxat aliquot millia equitum leviter armatorum, ne Turci vastent illa loca, per quae Christianorum exercitui faciendum est iter, quos equites, qui servabuntur, levibus proeliis arcere poterunt.

Haec *Tarnovius* magna ex parte his verbis commemoravit; suam curam et sollicitudinem, quam animo circumfert de repub. christiana, saepe magno cum gemitu significans, repetens omnes veteres et nostri temporis expeditiones, susceptas adversus tyrannidem turcicam, praecipue ab Hungaris et Polonis, quorum voluntatem et virtutem praedicabat. Horum armis diu reliquam Europam defensam esse dicebat, nunc vero caeteras nationes intellecturas: quanto sint in periculo, quasi nudatae vallo et muro, amissa Hungaria. Sed hac se consolatione sustentari ostendebat, quod certum esset, *Deum* non concessurum esse, ut penitus deleatur Christi nomen. Deinde, quod, cum imperatoris *Caroli* excellens sit virtus, auctoritas, pietas, felicitas: spes esset *Deum* ejus consiliis adfuturum esse. Magnum etiam in regis *Ferdinandi* diligentia et virtute, et in divorum fratrum concordia, et mutua pietate praesidium esse dicebat. Videtur et hoc singulari *Dei* clementia in hoc extremo periculo orbis terrarum provisum esse, ut imperii fastigium teneret *Carolus Imperator*, non solum potentia, sed etiam auctoritate et charitate multarum gentium, antecellens prioribus imperatoribus. Multum enim momenti allatura est ad rem tantam conjunctio Italiae, Hispaniae, Germaniae. Denique saepe testabatur *Tarnovius*: se nihil magis optare, quam ut reipub. christiana opera sua, consilio, studio, et amore, ac omnino qualicunque ratione prodesse posset. Habes *invictissime imperator*, domine clementissime, *Tarnovii* ducis fortissimi sententiam de bello gerendo, quam duxi significandam esse Majest. Tuae, ac oro, ut studium meum pro tua heroica clementia boni consulas. Non ambitione, non curiositate, ad haec significanda incitatus sum, sed quadam pia consolatione in hac tanta trepidatione publica, ac observantia debita Majest. Tuae. Quam, precor, ut *Deus* pater coelestis, verus exercituum Dux et Dominus, ad propugnandam Filii sui gloriam, ad tuendam et propagandam christianam salutem, cum sempiterna nominis tui gloria, quam diutissime pro ejus merito, servet incolumem. Datum Cracoviae XIV Cal. Octob. MDXLII.



8119/  
1.